



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 21. Alii Crucigeri & Germania.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

Sæcul. XII. retinens. Otto bona Ecclesiæ Frisingensis alienata & dissipata collegit, ac Clericos Monachosque ad observandam Regulam compulit. Ceterum inter eruditissimos Germaniæ Episcopos locum tenebat, & pœne omnium primus Philosophiæ studium præsertim Aristotelis Logicam invexit. Vi dicendi pollebat, & saepe de Ecclesiæ causis maximi ponderis coram Regibus & Principibus disserebat.

## §. XXI.

*Alii Crucigeri ex Germania.*

*Otto I. Frid.* **S**axones quoque sacræ militiæ se addixerunt, sed non cum ceteris Germanis in Orientem peregrinaturi. Cum enim propinquas Gentes Idololatriæ addictas haberent, in eas accepta Cruce conjurarunt, quod demum anno sequente exsecuti sunt. At vel solum militandi propositum magni boni causa extitit, nempe pacis in toto pœne Occidente universalis. Rex vero Conradus in Ascensione Domini, quod Festum hoc anno millesimo centesimo quadragesimo septimo in diem vigesimam nonam Maji incidebat, iter ingressus est, comitante nepote suo Friderico, Sueviæ Duce, qui etiam militiæ sacræ nomen dederat, atque Hungaria, Bulgaria & Thracia peragratis, octava Septembbris, ad urbem Con-

Constantinopolim castra metatus est. A. Sæcul. XII.  
 lia Germanorum agmina ad succurren- A. C. 1147.  
 dum Hispaniæ destinata, cum ad oras  
 Rheni & Visurgis exercitum navalem  
 conflassent, ex urbe Colonia in octava  
 Paschæ vigesima septima Aprilis anno  
 millesimo centesimo quadragesimo septi-  
 mo iter exorsi sunt. Ubi in Angliam *Helm. Chro.*  
 trajecerunt, classem ducentorum ferme *Slav. lib. I.*  
 navigiorum, tum Anglis, tum Flandris *c. 60. 62.*  
 militibus instructam condescenderunt, &  
 unitis viribus in Hispaniam vela fece-  
 runt. In Gallæciam devecti in oppido *Chro. Sax.*  
 S. Jacobj Festum Pentecostes celebrant, *ann. 1148.*  
 tumque Durium amnem intrantes ad *Rob. de*  
 Urbem Portugalliae perveniunt, ubi Epi- *Monte. 1147.*  
 scopum se nomine Regis Alphonsi *Hen-*  
*riquez* expectantem habuerunt. Inde  
 in Tagum propulsi, vigesima octava Ju-  
 nii, in Vigilia S. Petri in conspectu Ulis-  
 sponis, quam civitatem tunc Mauri oc-  
 cupabant, naves sistunt. Hanc ergo ur-  
 bem cum classiarii mari & Rex terra  
 quatuor prope menses obsedissent, tan-  
 dem in Festo S. Ursulæ vigesima prima  
 Octobris initis conditionibus ad dedi-  
 tionem compellunt. Paæta vero hujus-  
 modi erant: Urbs ipsa potestati Re-  
 gis Alphonsi traderetur, spolia vero o-  
 mnia Crucigeris eederent. Ita Ulissipo,  
 urbs maxima, a Christianis recepta; nec

Sæcul. XII. ultra quidquam a Crucigeris in illis or.  
A. C. 1147. bis partibus effectum.

## §. XXII.

*Ecclesia S. Genovevæ reformatur.*

*vit. S. Guill.* Inter hæc Eugenius Papa, Romanorum  
*Rosch.* 6. seditionibus fatigatus, in Franciam  
*April. Boll.* proficiscitur, & Lutetiaæ Parisiorum a Re-  
*to. 9. p. 626.* ge Ludovico & Theobaldo Episcopo, antea ad S. Martinum de pratis Priore, excipitur. Obviam progressi Pontificem magna pompa ad Ecclesiam Domi-

\* *S. Mariæ.* næ \* nostræ deduxerunt. Post paucos dies Papa Ecclesiam S. Genovevæ adiit, sacris operatus. Ipso limen subeunte, qui supellectilem Ecclesiæ curabant, pavimentum ante Altare velo serico straverunt, super quod se se toto corpore demittens Papa oravit. Tum surgens, sacrarium intrat, vestes ad Missam celebrandam accepturus. Interim vero Papæ familiares velum, cui incubuerat, si bi tollunt, dicentes, suum hoc esse pro antiquo more, & Canonicorum famuli indignantes polium ex eorum manibus eripere conantur, & ita, his illisque in diversa trahentibus, pretiosus pannus in fragmenta scinditur. Tum pugnis fustibusque certatum. Rex ipse cum venisset, rixas sedaturus, in eo tumultu verberatur.

Papæ